

Ceterum charitati tuę ingentissimas habeo gratias, quod me antevertere voluisti, ut, qui per me in evangelii partes vocandus eras, ipse me confortes et veluti lento calcar admoveas; deinde quod et me et fratres omnes per Abstemię epistolam ingenti affecisti lætitia. Tu vero perge, quo cœpisti optime, velut alter Lucas animarum in primis atque corporum medice. Reliqua, quę circa nos, ex fratris Christiani literis fortasse perdisces. Paucas has atque ineptas tua boni consulat eruditio^{e)}; nam Scoticę quidditates, in quibus fere consenui, non sinunt, ut eleganter scribam. Salutant te fratres, maxime Berchtoldus Haller, qui contioni præest in ecclesia Sancti Vincentii. Salutabis etiam ex nobis fratres omnes, præcipue dominum Benedictum, ecclesię vestrę pastorem. Vale et tu frater in Christo charissime, cuius gratia te confortet et quam diutissime servet. Datum Bernę, 18. die mensis Martii, anno a natali christiano 1523.

Ea quę in conventu principum Norinbergę acta sunt, domino Erasmo missa et mihi ab amico communicata, nolui te latere.

Tuus frater *Sebastianus Meiger*,
Minorita.

Eximię eruditionis maximeque^{g)} pietatis viro Ioa chimo Vadiano, artium ac medicinę doctori, apud divum Gallum, domino ac fratri suo in Christo charissimo.

a) „celum“ mit geschwänztem „e“. — b) „emehant“. — c) „sequuturam“. — d) „leticia“. — e) „eruditio“ mit geschwänztem „e“. — f) „præcipue“, „e“ geschwänzt. — g) „maximeque“.

l) Von *Sebastian Meyer*, gebürtig von Neuenburg im heutigen Grossherzogtum Baden, eifrigem Beförderer der Reformation in Bern, sind 6 Briefe aus den Jahren 1523 bis 1540 erhalten.

342.

II 125.

Valerius Anshelm¹⁾ an Vadian.

Bern. 1523. März 18.

Lob Vadians. Zusicherung seiner Beihülfe. Bericht über den Stand der Dinge in Bern.

Domini nostri Iesu Christi favorem et pacem. Si Vadiane, literarum atque virtutum optimarum vates^{a)}, talem me per minus felicem studiorum meorum etatem fieri contigisset, qualem si labor, si doctor accessisset ac suoapte ingenium non negasset et tua iamiam omnibus a claris monumentis testata virtus nunc prædicat: haberes utique, quocum dulcissimo literarum delectamento iucunde frui posses. At quid cum cor-

vis bene conveniet psittaco^{b)}? En nisi Vadianus ipse pro sua clementia vadum ad se præbisset mihi, qui fieret, iners eruditissimum et inermis instructissimum appellare ausim. Sed medicus es: porro egrum non feres solum, sed et sanare conaberis; eruditus es: rudes, quod edoceas, patieris; christianę pietati affectus es: pietatem vel impiissimis exhibebis. Hęc, inquam, quę securum inter nos dedit vadum, Vadiane doctissime, quandoquidem non verborum tamquam fidei in Christo sapientiam respicit, facile in crucis stultitia convenire nos et pares faciet. In hac igitur obsecro fratrem habere me non dedigneris, ambigens nil, nil mihi tua per id tempus amicitia gratius advenisse, quę in firmissimo stabilissimoque Christo conciliata, infirma instabilisque poterit esse nunquam; pro qua inprimis Christo nostro, tum et hiis, qui eam inter nos iungere studuerunt, gratias ago immensas. Ceterum dum per hęc felicia tempora cum omnigeno bonarum artium decore Christi servatoris nostri evangelion, a quo iam olim ad barbaros, alioquin non indoctos Arabas inconstans sophistarum theologia et harenosus humanorum decretorum agger me proscripterat, expurgatius relucescere cępisset, adversus irrecuperabilis iacturę dolorem liberiore concepto respirio inter nostros ferme primus resurgenti evangelicę libertati accessi, quibus potui studiis suasi suadereque, quoad Christi dederit spiritus, non desinam. Dedit non exile, cuius hoc est solius opus, incrementum deus, adeo ut iam nunc, lata interim vel posthabita quorundam hypocritarum^{c)} uterinique cultus hominum vesania, liberum evangelion in magistratu Bernensium nostrorum ecclesia^{d)} libere prædicetur magnoque piorum confluxu audiatur. Est id, uti scis, ignis, est gladius, est petra, est stultitia, est denique virtus dei omni credenti in salutem. Quid igitur efficiet^{e)} aliud, cum vacuum non revertatur, quam quod is, a cuius est egressum ore, statuit: scilicet huius a sæculo cęcatos filios, superbos inquam, comburet, repugnantes confodiet, incredulos conteret, sapientes confundet, credulos autem servabit. Vim igitur suam quisque in sese agentem diiudicet. Superest, cohortantes atque consolantes nos invicem Christo domino nostro supplices^{f)} supplicemus^{g)}, quatinus is id, quod in nobis est operatus, confirmet, augeat atque conservet.

Postremum Christi nostri invicto evangelistę, amico nostro communi Zinglio, rogo me obnixè commendes; tum atque meam in eum ingratitude precor excusa. Hanc ut non oblivioni benevolentię, sed

inertię meę donet, intercedito. Ignoscat lucifuge noctue, que in caligine delitescens gratias illi suspirat et optima queque precatur; et tu quoque, obsecro, inertiam meam patienter pro humanitate tua patiare. Vale in Christo validissime, doctissime mi Vadiane, Valerii deinceps amator tuissimi. Bernę, die XVIII Martii, anno XXIII.

- vel

Valerius Anselmus Rubevilanus, Bernensis medicus,
fidelis tuus in Christo frater.

Optimarum literarum, medicę Christianęque sapientię doctissimo
Ioakimo Vadiano, viro integerrimo atque suo in Christo
fratri dilecto.

In Sancto Gallo.

a) „vades“. — b) „psytaco“. — c) „hyppocritarum“. — d) Erstes „e“ geschwänzt. — e) „effitiet“. — f) „suplices“. — g) „suplicemus“.

1) Von *Valerius Anshelm*, Arzt in Bern, findet sich nur der vorliegende Brief vor.

1523 Mz: U. Hugwald III, 251, Nr. 99 / 254 Nr. 100.